



Hermann Friedrich Willgohs

Dissertatio Inauguralis Medica Observationes Quasdam Circa Epidemiam Huius Anni Dysentericam Continens


Rostochii: Typis Adlerianis, MDCCCVIII.


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1007198141>


Druck Freier  Zugang  OCR-Volltext

RU med. 1808

Willgohs, Herrmann Frid.







DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

OBSERVATIONES QUASDAM

CIRCA

E P I D E M I A M

HUIUS ANNI

D Y S E N T E R I C A M

CONTINENS

QUAM

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS CONSENSU

PRO IMPETRANDIS

SUMMIS IN MEDICINA ET CHIRURGIA
HONORIBUS

PUBLICO EXAMINI SUBIICIT

AUCTOR

HERRMANN FRIEDERICH WILLGOHS,
MEGAPOLITANUS.

ROSTOCHII,

TYPIS ADLERIANIS MDCCCVIII.

DISSERTATIO IN ACADEMIA MEDICA

OBSERVATIONES QUASDAM

DE

EPIDEMIA

IN ANNO

subito quum tabidi membris,
Corrupto coeli tractu, miserandaque venit

— — — lues, et letifer annus.

Virgil.

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS CONSENSU

PRO MITTENDIS

LIBRIS IN MEDICINA



NOVA

LIBRICO ROSTOCHENSIS

DOCTOR

HERRMANN FRIDRICH WILGONS

MEICHOVITANUS

ROSTOCHI

MDCCCLXXXIII

Epidemia dysenteriae, quae anno MDCCCVII in Germania septentrionali grassata est, minime laetam mihi dedit occasionem, novas quasdam ejus formas aut saltem nondum recensitas observandi, quas publico jure non plane indignas censui.

Quae formae prae ceteris nominandae, sunt:

- I. Dysenteria nervosa in tribus speciebus:
- a) dysenteria intermittente;
 - b) dysenteria ex spasmo vago, clonico;
 - c) dysenteria asthmatica.
- II. Dysenteria gangraenosa.
- III. Dysenteria chronica.

Dysenteria simplex easdem causas eundemque admittit decursum et medelam, quae ex aliis morbi vel epidemice vel sporadice regnantis descriptionibus luculenter patent. Materies imperceptibilis, quam celeberrimus *August Gottl. Richter* *) accusat musculos irritantem rheumatismos, in membrana pituitaria coryzam, in pulmonibus catarrhos et speciem phthiſeos gignere, et in crassa intestina, praesertim rectum, delatam dysenteriae causam esse, etiam in hac epidemia extra culpam non fuit; quum perfervidam aestatem autumnus humidus, gravis ac frigidus secutus est.

§. 4.

Sed alia adhuc species hujus materiae, vel alia ejus modificatio in gignendo dysenterico morbo efficax nominanda est; vere biliosa scilicet post aerumnas, pavorem ac timorem orta. Unica emeto-catharsis haud raro hunc morbum plane suffulit. —

*) Vid. *Himly* disertatio inauguralis, observationes quasdam circa epidemiam hujus anni dysentericam sistens. Goetting. 1794. *Clariff.* auctor opusculum in omni parte ex sensu celeberrimi ac immortalis *Richteri* scripsit, quem eo tempore praecceptorem venerabatur.

§. 5. Dejectiones primis diebus frequentes et aquosae erant, sed sine tenesmo; si tenesmus accesserit, semper obstructam aeger alvum, nec praeter excretiones muciformes sanguinolentas habuit. In infantibus cibi minime cocti et fere non mutati statim per intestinum rectum excreti sunt, magna cum copia succi gastrici et enterici mixti.

§. 6.

Dolores mox graviores, mox leviores, in quibusdam plane defuerunt. Anorexia fere omnibus et praerubra lingua, sapor amarus cum vomituritione in nonnullis. Medio in morbo interdum ejectio faeculenta summo cum levamine aegri facta, vel sine omni manifesta causa, vel post clysterem, semel cum quaedam aegra succum nicotianae rufficae sumserat, et alio casu, post aceti vini potum.

§. 7.

Morbus contagio se non propagavit, et ego etiam cum *Himly* l. c. sanos cum aegrotis uno in lecto dormivisse et minime infectos fuisse vidi.

Medela simplex morbum feliciter profligavit. Cataplasmata tepida emollientia laudes vulgo illis datas non meruerunt, et ob refrigerationis periculum plus damni quam utilitatis attulerunt. Valde conduxit in casu graviore vesicatorium, maxime ubi dolor topicus instantem quandam passivam inflammationem praefagivit. Leviori morbo inunctiones volatiles anodynae suffecerunt. Clysmata, nisi in morbi initio applicata, tenesimum auxerunt.

§. 8.

Quod ad remedia interna spectat, incunte morbo, et symptomatibus biliosis urgentibus, emeticum, et prae aliis radix ipecacuanhae prisca sua lauda dignam se praebuit; purgantia in quolibet stadio morbum exasperarunt, eccoprotica seu lenitiva vero, et inter illa, oleosa cum manna, blando effectu et sine doloris aut tenesimi augmento duras feces ejecerunt. — Opium remedium praestans, sed audacter nimis et manu inconsiderata adhiberum periculofum, lethalis paralyseos symptomata excitavit. Camphora fere in quolibet aegro, ceteris paribus, magni pretii medicamentum fuit.

Stadium reconvalescentiae moderatum externum calorem;
et calidum abdominis tegumentum, usum longe protractum de-
cocti corticis peruviani et camphorae poposcit, quibus omis-
sis aut morbus recidivus, aut dolores arthritici *) orti sunt,

§. 9.
Haec imago fuit morbi simplicis, periculi expertis, qui
sub alia forma ac specie vel gravior et periculosior, vel per mor-
bosam quandam dispositionem aut complicationem mortem attulit.

§. 10.
Dysenteria nervosa.

I. *Dysenteria intermittens.*
Morbi descriptionem tali veritate dedit celeberrimus *Torti**)*,
ut naturam ipsam eum verbis depinxisse credas.

*) Vide Epistolam celeb. *Saalmanni* ad clar. *Werlhofum* in *Werl-
hofii* operib. T. III. *Commerc. litterar. inter Werlhofum et
Saalmanum* p. 787. „Arthritidem rheumaticam hiemalem
„inquitinis ex dysenteria reliquiis magna parte natam et pertina-
„citer radicatam vidi.“

***) *Torti Therapeutice specialis ad febres periodicas perniciosas.*
Francofurti et Lipsiae 1756. Lib. III. cap. I. p. 174. Celeberr-

Solet ergo dicitur, nonnunquam vel invadente, vel etiam
 declinante accessione (febris), suboriri placida quaedam frequens
 que, ac copiosa dejectio, quae intra paucas horas nullo fere fen-
 sibili aegrotantis incommodo, ad magnam molem et pondus ex-
 crescit. Materia ipsa plane serosa videtur sed subcruenta, aegrum-
 que primo nil tale timentem, brevi deducit ad summam virium
 imbecillitatem, cum pulsu minuto ac exili, et extremorum nota-
 bili perfrigeratione; vox attenuatur nonnihil, oculi concameratio-
 nem contrahunt. Caeterum sitis non molestat, mens est vegeta,
 nec de alia re conqueritur patiens, nisi de summa virium prostra-
 tione ac proclivitate in lipothymiam, quae facile quoque, si e-
 lecto surgere velit, solet succedere. Evanescente febre sensim
 sedatur tumultus, qui raro diem intermissionis occupat, si vero
 occupet, vix die sequenti!

(*) Vide Epistolam celeb. Salmuthii ad frat. Welferum in Welf.

Epistolae T. III. Caput. I. §. 1. p. 107.

Salmuthii p. 107. §. 1. p. 107.

mus auctor morbum non sub nomine febris intermittens dysente-
 ricæ habet et tenesmi nullam fecit mentionem, quare caeteris
 symptomatibus quidem congruis illum tamen non eundem mor-
 bum observasse credo.

§. II. mullu...

Imagini perquam vere ac eleganter delineatae haec adjiciam. Morbus semper sine diarrhoea, et sine dysentericis symptomatibus, saepius cum obstructione, ut febris intermittens simplex invasit, cujus typus fuit quotidianus, paroxysmo mox anteponente, mox postponente. Tertio aut quarto accessu aegri ponderis sensum in abdomine questi sunt, et involuntariam pressionem ad intestinum rectum absque evacuatione. — Aliqua re male affecti aut post leve refrigerium, diarrhoea cum obtuso intestinorum dolore incipiente, primis diebus ter quaterve alvum non sine tenesmo deposuerunt. Febris accessiones postea evanuerunt, quarum loco accedit dejectio aquosa, mucilaginoso, sanguinolenta cum magno impetu, sub frigoris sensu et viscido quodam totius corporis sudore. Tempore apyrexiae aegri nullo affecti dolore haud raro consistentes feces per intestinum rectum protruserunt; morbo autem ad finem properante nulla remissio aut intermissio distinguenda fuit. Morbus gravissimus, periculosissimus, aegros, quos usu corticis, opii, camphorae et vini generosissimi tres aut quatuor hebdomades conservavi, extenuatos et plane exhaustos necavit. — Hocce

morbo laborantium nullum servavi, licet nec interna nec externa neglexerim.

§. 12.

II. Dysenteria ex spasmō clonico vago.

Speciem hanc tantum in feminis, praecipue hysteris, observavi. Aegrae ab initio morbi frustraneam pressionem in intestinum rectum summis cum doloribus in abdomine conquestae sunt. Abdomen mox fuit tensum et inflatum, mox compressum et ad vertebrae dorsi et lumborum retractum, mox autem sano a flatu non declinans. Urina vel plane suppressa vel guttatim et parciter destillavit. Ineunte morbo, symptomata admiserunt intermissionem aut saltem remissionem, in progressu autem spasmi non ceserunt. Quo in flatu malum per tres aut quatuor dies progressum est, quibus elapsis novum ecce spectaculum et symptomatum congeries! Quae nunquam in pectore incommoda molestiasve passae erant, thoracis angustiam, respirationem difficillimam, usque ad suffocationis periculum expertae sunt, additis dysenteriae phaenomenis. Sed unius horae spatio, respiratione rursus libera, globum in faucibus rauca voce accusarunt, deglutitionem et loquelam impediendam.

Postea musculi faciei spastico seu convulsivo modo excitati tremularunt, oculis aut cum animi deliquio contortis aut in sopore profundo clausis. Haec quies magno aegrotantium clamore interrupta est, dum illae novos acutissimosque dolores et tenesmos sentientes e lecto exsilierunt et erectae feces et urinam exprimendi periculum fecerunt, sed nihil nisi mucum purulentum, sanguinolentum, interdum viridem expresserunt, cui urina pauca crassa, et praerubra se admiscuit.

§. 13.

Qua in symptomatum vicissitudine per quatuor aut sex dies morbus se protraxit, cum graviore in dies asthmatica oppressione, aucta anxietate et debilitate, denique mors vel convulsiva et apoplectica, vel suffocativa, vel sub ejectionis frustrato nixu, scenam clausit.

Neque febrem regularem typicam, calorem vero mordacem cum frigore et sudoribus viscidis ac frigidis alternantem, animadverti. Interdum aliorum aut horripilatio novum symptomatum ordinem annunciavit. — Ad medelam incitantia et antispasmodica efficacissima interna et externa, nec minus clysmatum ope adhibita,

frustra prodegi, nullum servare potui. Subdolos morbus elusit dictum prognosticum, quod in celeberr. *Kleinii* *) interprete clinico legas: „in hysteriis ceteroquin gravia symptomata benignius sunt interpretanda.“ Opium anxietatem, oppressionem pectoris et soporis profunditatem auxit; moschus unicum fuit remedium quod breve levamen aegris praebuit.

§. 14.

III. *Dysenteria asthmatica.*

Species dysenteriae, in qua asthmaticum facile gravissimum et saepius lethiferum symptomata est, hoc nomen mea sententia jure meretur. Malum sub duplici occurrit forma, gradu tantum diversa. Primum ac leniorem gradum in primis morbi stadiis vidi, qui neglectus in secundum et acerbiorum transit.

§. 15.

I. Aegri integris pulmonibus praediti difficilius respirarunt, in tenesmo laboriosius, post evacuationem rursus facilius. Ab initio morbus cum debilitatis signis, pulsu debili ac parvo, minime autem

*) *L. G. Kleinii* interpretes clinici. Francof. et Lipsiae 1753. p. 66. Dysenteria.

celeri, colore faciei pallido et totius corporis languore se obtulit, et sanationis mox fecuturae spem ex levioribus dysenterici affectus signis conceptam fallacem et incertam reddidit.

§. 16.

2. Nunc citius, nunc tardius, in nullo casu tamen ante quintum aut post nonum morbi diem, oppressio pectoris, pedetentim ac sensum increscens, tali vi plerumque dormientem repentine ita oppresit, ut summa cum anxietate expergefactus sub continua ad intestinum rectum pressione, cum imperceptibili fere et vacillante pulsu, facie hippocratica et totius corporis viscido fudore, frigore universali correptus, viribus summe prostratis, suffocative et sub ipso evacuationis per alvum nixu perierit.

§. 17.

In primo ac mitiori gradu morbus sanationis spem admittit, incitantibus antispasmodicis et roborantibus recte adhibitis. Prae omnibus remediis opium praeslitit, cum et sine camphora. In duobus aegrotantibus ventriculi sensibilitas tanta fuit ut praeter tincturae thebaicae paucissimas guttulas, quodlibet aliud medicamentum statim vomitu rejiceretur; quod opiatum remediis externis adjutum

removendo periculo suffecit. Emetica semper male cedebant, et morbi ad secundum gradum progressum accelerarunt. Imminuta ventriculi sensibilitate, decocto-infusum corticis peruviani et radicis serpentariae virginianae lacto cum successu porrexi. Externe fomentationes siccae ex herbis aromaticis, praecipue menthae crispae et absinthii, liquore anodino m. H. camphorato conspersae, et inunctiones volatiles anodynae, sanationem adjuvarunt.

§. 18.

Malum in secundum gradum protractum exitialemque ad eventum properans omnia artis auxilia studiosissimaque medici conamina irrita fecit. Aegri tales sex, octo aut duodecim horis elapsis exspirarunt.

§. 19.

Dysenteria gangraenosa.

Opifices vitam sedentariam, laboriosam, aerumnisque plenam degentes, huic morbo praepriis succubuerunt. Affectus animi deprimentes, praeter dysentericam constitutionem epidemicam, omnes illos afflixerant, unde singularis totius systematis languor, qui formae febris ab initio continuae continenti mox characterem nervosum impressit. Primis diebus alvus clausa, abdomen tensum,

haud raro clysmatum aut remediorum lenientium opem postularunt. Excrementis hoc modo copiosis et duris exclusis, certe intra primos septem morbi dies diarrhoea aquosa pessime foetens secuta est, quae summum protinus virium collapsum adduxit.

Primi dejectionis impetus tenesmo caruerunt, progrediente autem morbo, haud frequentius quidem illa urgebat, quaelibet excretio vero cum molestissimo et irresistibili desidendi conatu conjuncta erat et aegris fellam relinquendi vix permisit. Deductis prodromis morbus per tria stadia ad finem decurrit. Erant haec

- 1 Stadium nervosum,
- 2 — paralyticum,
- 3 — gangraenosum.

§. 20.

I. Stadium nervosum.

Aegri morbum suum levem tantum habuerunt, nec nisi catarrho, cum infueta tamen debilitate, se correptos putarunt. Caput minime dolebat, sed praegrave tantum et vertiginosum erat, facies, maxime genae valde rubeant. Lingua praerubra, corporis superficies sicca et calida, pulsus parvus celer ac durus. Respira-

tio quidem libera, absque dolore in praecordiis, verum tenso abdomine ventriculus velut in cavitationem thoracis intrusus illam coarctavit. In imo ventre murmura audiebantur, spasmus inflativus abdomen expandebat. Nec defuerunt ibi dolores obtusi et aegri inquietudo. Sitis magna, cibi appetentia parca. Vespertino tempore omnia ingravescebant symptomata, magis urgebant fitis, inquietudo, cephalalgia, animi deliquium, intestinorum turbulenti motus; ceterum nulla quies nocturna; durante nocte excretiones urinae et alvi filebant. Mane circa horam tertiam vel quartam facta alvi solutione et urina subrubra turbida emissa, remissio contingebat, et in fomno, inquieto quidem et somniis turbato, mador cutis. Aegri fomno expergefati, nequam eo refecti potius irrequieti aut fomnolenti erant, cum lingua arida et nigra, abdomine vero molli nec dolente. A potu qualicumque nata sunt murmura, dolores, diarrhoea, quae feces vel pulmento similes vel aquosas, male olentes, cum tenesmo exclusit, et haec pathemata tum sine externa causa semel atque iterum et saepius redierunt. In hoc stadio, cujus circa finem collectio flocculorum et tendinum leves subsultus accesserunt, morbus quinque aut septem dies versatus est, media nocte denique algore quodam mutatus.

§. 21.

II. Stadium paralyticum.

Irrequietus aeger, nisi sopore correptus et sui ipsius haud conscius, per aliquot fere minuta lectum relinquens, frigore violento praegresso, subdolum levamen sensit, et absque doloribus et tenesmo, simul et semel cesstantibus, aquosam et suberuentam materiem ejecit, unde ipse spem lactae instantis reconvalescentiae concepit. Facies, antea praerubra; nunc palluit, color remisit, nec, lingua licet sicca et nigra fuerit, aeger ullam sitim habuit. Cibos ipsi oblatos interdum comedit, idquod pariter propinqui et adstantes pro fausto signo habuerunt. Somnolentia, nigra et sicca lingua, subinde aphthosa, diarrhoea vehemens, pulsus parvus ac debilis, corporisque languor, nervosis affectionibus interruptus, morbi imaginem absolverunt. Nisi in sopore aeger nisum alvi deponendae fentivit et, integra sphincteris ani functione, lectum excrementis non conspurcavit. Obscuro quidem, sed repentino desidendi conatu ultimum exitiale stadium imminebat.

§. 22.

III. Stadium gangraenosum.

Diarrhoea increcente viribus aequali ratione decrescentibus,

ter quaterve in quolibet semihorae spatio velut sanies subcruenta, pessime foetens et flocculis intermixta, dejecta est. — Aeger in soporem pronus, a quo excitatus nihil querens mox in somnum relapsus est. Brevi post obliviosus, rerum paulo ante factarum immemor, non raro e. c. matulam postulavit, sed mingendi desiderio mente effluxo denuo obdormivit. Nonnunquam adstantibus obloqui tentans, cogitata sua explicare haud valuit, immo quandoque balbutiens vel verba mutilavit, vel confusa protulit. Alvus nunc praeter voluntatem feces exclusit odore graveolente ac cadaveroso inquinatas. Excrementa ipsa in aliis saniei aut loturae carniū similia, in aliis sanguine atro ac nigricante, modo concreto modo dissoluto, modo utroque, ac pelliculis, filamentisque membranaceis commixta, et foetidissima erant, quorum dejectio placidam mortem, velut sub animi deliquio, celeriter attulit.

§. 23.

Cadaveris sectio.

Unius cadaveris sectio concessa mihi fuit. Ventriculum vidi vacuum et a sano minimo aberrantem, pylorus saltem leviter rubicundus fuit. Vasa hepatica sanguine atro et concreto male olente plena, hepar fusco colore tinctum et praeternaturaliter molle,

cyctis fellea, ut ab aliis pariter observata *), bile prorsus vacua. Intestina tenuia externe bile suffusa, interne livida, jejunum multis scatuit ulcusculis, idem autem cum coeco et superiori coli parte gangraenosum et multis in locis non solum flaccidum, sed vere maceratum. Cavitatem inferiorem coli et superiorem intestini recti eodem sanguine cadaveroso et ciborum residuis indigestis mixto refertam, qualem aegri ultimis vitae diebus alvo reddiderunt, internam vero intestinorum superficiem exulceratam reperimus.

§. 24.

M e d e n d i r a t i o.

In primo stadio morbus sanari potuit, quo elapso nulla spes aegrum servandi restitit. Tria remedia inter alia longe praesisterunt, moschus, serpentaria et cortex peruvianus, vino generoso, vetusto adjuncta. Opium fini non respondit, a cujus usu symptomata potius exasperata sunt, auctis praesertim interno aestu, febre et siti. Alumen crudum, (cujus grana decem cum dimidio opii pro dosi porrexi) diarrhoeam in primo stadio per breve tempus

*) *Fr. Hoffmanni* Med. rat. systemat. Tom. IV. P. III. Cap. VII. et X.

quidem suppressens, anxietatem et abdominis cum doloribus inflationem auxit. Inter externa remedia, vesicatoria eximium effectum habuerunt, quia ut sine illis nullus sanatus sit.

§. 25.

Dysenteria chronica.

Habuit hic morbus alvi dejectionem primum mucosam, deinceps cruentam, vel puram vel fecibus intermixtam, nec doloribus abdominis, ejusdemque inflatione et levi tenesmo caruit. Malum per longius tempus decurrens aegrotantibus obambulare, ac officiis suis fungi permittit, unde tamen praeter modum debilitati fuerunt, ciborum ceterum appetitu caruerunt, omniaque aegra tulerunt.

§. 26.

Morbum non solum dysenteriae acutiori, ut crebro asolet, succedentem, verum etiam simplicem et primum, ab aliis alvi profluviis, e. c. diarrhoea, fluxu coeliaco, hepatico, suis characteribus distinctum, facile dignoscere poteris.

I) A diarrhoea distinguitur morbus noster:

a) tenesmo;

b) excrementorum diversitate. In hoc morbo per plures dies parum mucis aut sanguinis, minime autem feculenta materies ejicitur, unde obstructum diceret aegrum; alio in casu, aut alio morbi die, aeger duras feces mucosanguinolento vel intime mixtas, vel eodem obductas reddit; statum ergo a diarrhoea plane diversum concedes.

2. A fluxu coeliaco morbus discernitur sequentibus signis:

- a) Fluxus coeliacus fere absque ullo tenesmo decurrit.
- b) Fluxus coeliacus ad morbos sporadicos pertinet, dysenteria chronica numquam non epidemica est.
- c) Materia in fluxu coeliaco excreta chylum fere refert, colore et consistencia, sine mucosanguine.
- d) Appetentia ciborum eorumque concoctio in fluxu coeliaco continuat, in hoc morbo dysenterico plus minus impedita est.
- e) Fluxus coeliacus, morbus intestini recti, nec cum abdominis doloribus, nec cum ejus inflatione aut ullius fere functionis laesione conjunctus est.

3. A fluxu hepatico differt idem morbus sequenti modo:

- a) excretiones tam qualitate quam quantitate aliae sunt.


β) Fluxus hepaticus semper homines haemorrhoidarios infestat, et ad nostram, aliorumque observationem, aliam tantum formam est morbi haemorrhoidarii.


§. 27.


M e d e l a.


Quod ad medelam spectat, distinguendum est inter morbum secundarium dysenteriae acutae succedentem, et inter primum ac idiopathicum. Morbus secundarius in quodam arthritico quasi affectu intestinorum tam tenuiorum quam crassorum consistit, et cum aliorum organorum affectionibus arthriticis alternat. Malum pertinacissimum remediis diaphoreticis non sanatur, nisi balnearum tepidorum, et externi caloris ope.

Species morbi idiopathica in robustioribus, minori sensibilitate praeditis, occurrit, et a leviori miasmatis contactu ortum ducit. Aegrum absque omni remedio sanatum vidi, in casu graviore vero mucilaginoso et oleoso alvum leniter solventia eum levarunt; diaphoretica autem, Camphora, et pulvis sudorificus Doveri, conjunctis roborantibus, cito ac tuto sanitatem restituerunt. Ut morbum recidivum caveas, stomachica et amara recte sunt adhibenda. Radix arnicae, quae omnibus fere dysentericis profuit, hisce aegrotis nocuit.









Postea musculi faciei spastico seu convulsivo modo excitati tremularunt, oculis aut cum animi deliquio contortis aut in sopore profundo clausis. Haec quies magno aegrotantium clamore interrupta est, dum illae novos acutissimosque dolores et tenesmos sentientes e lecto exsilierunt et erectae feces et urinam exprimendi periculum fecerunt, sed nihil nisi mucum purulentum, sanguinolentum, interdum viridem expresserunt, cui urina pauca crassa, et praerubra se admiscuit.

§. 13.

Qua in symptomatum vicissitudine per quatuor aut sex dies morbus se protraxit, cum graviore in dies asthmatica oppressione, aucta anxietate et debilitate, denique mors vel convulsiva et apoplectica, vel suffocativa, vel sub ejectionis frustraneo nixu, scenam clausit.

Neque febrem regularem typicam, calorem vero mordacem cum frigore et sudoribus viscidis ac frigidis alternantem, animadverti. Interdum algor aut horripilatio novum symptomatum ordinem annunciavit. — Ad medelam incitantia et antispasmodica efficacissima interna et externa, nec minus clysmatum ope adhibita,

